10 12

DE

CARO IDIOPATHICO

ADIECTA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XX. M. MARTII A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOSEPHUS BECKERS

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. MARCARD, MED. ET CHIR. DR.
A. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DD.
MAX. GRAEFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO

DILECTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

FRID. SERTUERNER,

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Ex temporibus jam antiquissimis homines justo longiore atque altiore somno omnium animum admirationemque ad se convertisse memoriae proditum est. Quos vero casus narrationibus nimis adauctos veritatemque esse laesam, quum permulti anni dormiendo transacti tradantur, verisimile est. Monachum quendam centum annos dormivisse atque expergefactum alienigenam novae apparuisse aetati ferunt. At etiamsi hice casus nullius ponderis esse possint, tamen inde a saeculo XVII. non solum laici, verum etiam medici fido dignissimi somnum huncce inmodicum accuratissime nobis descripserunt. Sed nosologi et hujus status denominatione et judicio maxime dissentiunt. Etenim alii talem morbum existere negant atque somni abnormitates affectiones solummodo secundarias, uti in typho, pressione cerebri et cet. observantur, habent; alii vero, qui hunc morbum existere putant, variis sub nominibus eum adferunt. Vocatur enim modo carus, modo coma, modo lethargus et Dr. Schind-

ler morbum idiopathicum significaturus appellat eum Cataphoram chronicam, quod nomen apud Galenum sub alia significatione, sed apud Boissier de Sauvages ad indicandum somnum abnormem sine delirio ac febre usurpatum invenimus. Ego quidem Schindlerum sum secutus, vocabulum vero »Carus« usitatius praefero. Neque vero negandum est, hunc morbum propter raritatem ac nova miraculum fere excedentia symptomata suspicionem fraudis aegrotorum movere. Ac revera non desunt cari simulati exempla; si autem varios perpenderimus casus, mirum in modum tam symptomata comitantia, quam momenta eorum aetiologica inter se convenire invenimus, id quod revera eum occurrere maxime demonstraverit, quamvis medicorum summa auctoritate pollentium verbis atque observationibus fidem habere dubitaveris.

Morbus vero, qui in universum vulgarem, sed excessivum somnum aequat, hocce modo se manifestat:

Aegrotus haud praegressis gravibus rebus aut, id quod creberrime occurrit, post animi motum deprimentem, terrorem, metum, moerorem, melancholiam adeoque maniam vel subito vel paulatim accedente universali lassitudine somno mergitur, quod quidem, uti somno normali quotidie videmus, modo consueto fit. Hoc in statu, ex quo vel facile vel difficile vel minime excitandus est, pro gradu morbi

diverso brevius longiusve tempus absque cibo potuque versatur ac recte dormienti prorsus similis recreatur. Interdum etiam se vertit alioque modo uti observatur per somnum, paululum movetur. Palpebras si aperueris, bulbus ad externam et supernam partem volutus pupillaque haud disquirenda inveniuntur, quod symptoma etiam Bell somno normali perpetuo observavit. Tumque subito sponte sua in modum hominis ex normali somno excitati inter membrorum extensionem oculos aperit, initio quidem ea, quae circa sunt, animo difficile comprehendit, sed sensim sensimque conscientiam recipit. Excepta lassitudine omnino bene se habens edit bibitque et muneribus fungitur. Atque se dormivisse probe sciens tempus absentiae indicare nequit, quamobrem septem vel duodecim horas somno se esse fruitum putare consuescit. Neque minus omnia, quae ante somnum occurrebant, bene reminiscitur. Hoc uno impetu morbus vel abit vel post longius breviusve vigiliarum intervallum, quod modo horae tantum quadrantem, modo per dies hebdomadesque indurat, periodice redit. Hoc prosperrimae nonnunquam valetudinis intervallo non raro turbatio animi, melancholia, aphonia ipsaque perfecta mania observatae sunt. Intervallum si plures per dies indurat, somnus, ut solet, vigilias excipit, ita ut aegrotus interdiu vigilet noctuque dormiat. Redeunte vero impetu aegrotus quasi per vim, sive loquendo

sive laborando sive legendo statum vigilantem retinere conatur, ad somnum impellitur, neque quidquam dormiendi proclivitati resistere potest. Singuli plerumque impetus regularem observant typum, ita ut ad aegrotum hora constituta somnus redeat, quod vero etiam saepius aliter fit. Totus morbus singulorum paroxysmorum series per hebdomades vel annos producitur. In scriptis »Memoires de l'académie des sciences« casus, qui decem annos induraverit, narratur.

Gravissima vero et maxime perspicua symptomata sunt singularis paroxysmi et inediae tempus diversaque somni altitudo.

Multis in casibus caroticum duas, tres, sex vel octo horas dormientem et, postquam per quadrantem, dimidiam vel unam horam vigilavit, somno iterum sopitum videmus; in aliis vero somnus plures dies continuatur. In scriptis »histoire de l'academie des sciences 1739« sermo est de somno, qui tredecim dies, in »ephemeridibus naturae curiosorum«, qui septem dies induraverit. Somnus autem longissimus in »Philos. transactions 1705« adfertur. Samuel Chilton, natus Tinsburgae haud procul ab oppido Bath, septemdecim hebdomades uno tenore dormivit.

Neque minus diversa est altitudo somni. In multis casibus excitabilitas gradum normalem minime excedit et aegrotus strepitu, advocando atque

concutiendo facile excitatus remotis hisce stimulis vel post breve tempus vel statim obdormit. Sed etiam exspergefactio saepe ita difficilis est, ut miraculum fere excedat, neque ullus dolor aliquod vitae signum provocare possit. In iis plerumque casibus, ubi singuli somni paroxysmi diutius indurant, expergefactio difficillima est, ita ut utrumque aequali conditione utatur.

Somnus vero, si justo longius indurat atque expergefactio est difficillima, nutrimentis diu careant necesse est. Atque homo quum nonnisi septem per dies sine nutrimentis vivere possit, quemadmodum in magno cari gradu tam longe degat vix intelligendum est, et id ipsum summam de hac re dubitationem merito movit. Sed in omnibus adeoque in levissimis casibus aegroti tantum cibos paucissimos capiunt. Multi etiam fame adducti expergefiunt ultroque vescuntur; alii vero cibum minime adpetentes, ali debent. — Maria Jehnfels, in oppido Steinbeck nata, in caro quinque per menses neque cibos neque potus cepisse neque deposuisse alvum dicitur; et quamvis impediendae fraudis causa in corium album insuta, tamen praeterlapsis octo diebus nihil aliud, nisi incipientis menstruationis vestigia, inveniebatur.

Si praemissis gravissimis morbi symptomatis diversam corporis animique functionum conditionem in caro diligentius consideraverimus, corporis fun-

ctiones in universum aeque ac in somno normali sese habere morbumque singulis rebus discrepantibus ab aliis similibus accurate distinctum videmus. Ut vero a parte vitae vegetativae exordiamur, aegrotos universe parvum adpetitum habere memoravimus. Victum animalem plerumque rejicientes mucosos, indifferentes ac vegetabiles cibos praefeferunt. Multi quoque cibos, per somnum ipsis ori injectos, devorant, alii in ore eos retinent vel faucibus constrictis iterum ejiciunt. Lingua et os nasique cavum in magno morbi gradu copioso et tenaci muco obducuntur, quod symptoma etiam apud homines, longa inedia morti proximos, observatur. Ciborum digestio solito tardius efficitur, quod serus urinae atque excrementorum abitus apud ejusmodi aegrotos, qui crebrius cibum capiunt, ostendit. In longissima inedia etiam evacuationes non apparent. In statu vero vigilante excrementa, voluntate in hac re multum pollente, crebrius abeunt. Neque minus apud quosdam aegrotos evacuatio involuntaria praesertim urinae occurrit, ubi vero causa non in sphincterum paralysi, sed in sublata sita est conscientia.

At de qualitativa excrementorum natura in narratiunculis raro aliquid memoratum reperitur, de qua autem si quid adfertur, plerumque dura, friabilia et fusco colore fuisse dicuntur. Urinae aeque ac excrementa partibus aquosis carent, dum valde

colorata magnum sedimentum mucosum relinquunt. Dr. Schindler urinam caroticae cujusdam inquisitam justo minorem materiae urinalis, sed majorem salium copiam continuisse tradit.

Sanguinis circulatio in caro, uti in somno normali, in universum diminuta est. Heim et Schindler pulsum rarum et fortem invenerunt et hic peculiarem conditionem, pulsuum numerum potissimum se accommodare tempori, eumque per vigilias auctum fuisse, sed, quo longius induret somnus, eo rariorem factum esse animadvertit. Si autem descriptiones comparaveris, pulsum etiam multis in casibus normalem habuisse frequentiam invenies. Cetera vero pulsus natura a variis varie indicatur; alii enim magnum, alii parvum et mollem et debilem pulsum inveniebant. Sanguis ipse, ut venaesectionibus ostendebatur, vulgarem exhibuit naturam.

Respiratio semper tranquilla ac pulsuum numero conveniens. Sanguinis autem circulatio si levissima est, uti in casu infra memorato, respiratio vix percipi potest.

Corporis caroticorum calor saepe parum a norma discrepat. Ubi autem circulatio et respiratio admodum diminuuntur, corporis etiam calor cum hac utraque functione arctissimo consociatus vinculo eodem gradu suppressus reperitur.

Quemadmodum vero in hocce cutis diminuto calore transpiratio vulgo adaucta esse possit, haud

est intelligendum, quum cuncti, qui de hujusmodi cari casibus narrant, hancce auctam cutis functionem memorent. Multi aegrotorum perpetuo cutem humidam habent; alii largis sudoribus periodice superfunduntur. Sed largissimi in morbi exitu occurrunt, ita ut non raro pro evacuationibus criticis possint haberi.

Menses quidem apud quasdam mulieres caroticas solito tempore, sed quantitate minore semper accedunt, apud alias vel ante vel per ipsum morbum cesserunt.

Propriam quidem musculorum systematis caroticorum remissionem in plurimis casibus invenimus, sed tamen haud raro casus, qui natura spasmodica videntur esse, observati sunt: haud raro animadversa est palpebrarum nictatio, ita ut aperire se velle semper viderentur. Symptoma magis etiam mirum trismus est, qui in multis gravioribus morbi casibus occurrit. Complurium aegrotorum mentionem facit Dr. Schindler, apud quos maxilla inferior firme clausa nonnisi summa vi divelli poterat.

De animi per somnum conditione fere nihil certi adferri potest. Aegrotus enim post expergefactionem minime recordatur eorum, quae vel in semet ipso vel extra evenerint, neque etiam mentis absentiae tempus indicare potest. Operarius Samuel Chilton, de cujus morbo Dr. Olivier memorat, mense Aprili, ubi serebatur avena, in ca-

rum inciderat, et septemdecim demum hebdomatibus post experrectus est. Unam tantum noctem se dormivisse opinatus ea, quae de diuturno somno narrabant, credere noluit, donec in campo satam a semet ipso avenam ad maturitatem jam pervenisse conspexerat. Similia multis in casibus memorata invenimus.

Morbus saepius pro vehementia atque diuturnitate mali, intimam vitam corripientis, supra spem finitur, et sanitas plerumque eximproviso redit. Rarius autem ita reconvalescunt, ut singulis somni paroxysmis sensim sensimque diminutis vigiliarum intervalla longiora fiant, donec normalis somni et vigiliarum typus restituatur. Ubi vero morbus cum vesania aut aliis animi turbationibus initium cepit, animi affectionem evanescere videmus. Contra etiam eos, qui antea mentis compotes erant, finito morbo vesania correptos fuisse observatum est. Caroticos inter paroxysmum e vita decedere raro observatur; morbus autem si longe induravit, saepe febris hectica accedit, qua vita eripitur. Tunque aegroti paulo ante mortem semel adhuc plerumque experrecti perfectam conscientiam recuperant.

Cadaverum Sectiones tam paucae nobis traditae sunt, ut ex iis in universum nihil excipi possit; si qua vero post mortem fuerit instituta, nulla fere mutatio materialis sese ostendit. — Rem autem memoratu dignissimam narrat Lossau, qui in sectione

diu indurante caro absumtae mulieris glandulam thymum magnam atque intumefactam sese invenisse contendit.

CAUSAE.

Ratione habita aetatis causam praedisponentem aetatem mediam invenimus, namque juvenili virilique aetate earum semper occurrisse omnes narrant. Prae ceteris autem anni evolutionis sexus muliebris, quibus et aliae somni animique turbationes tam facile proveniunt, ad morbum maxime disponere videntur.

Quod vero sexum ipsum attinet, mulieres huic morbo longe obnoxiores videntur esse. Casuum adlatorum duae tertiae partes ad feminas pertinent Neque minus praedispositionem apud homines, qui debili nervorum systemate praecellant, multo majorem videmus. In plerisque casibus aegrotos morosissimos, sensibiles et melancholicos fuisse memoratur.

De causali conditione climatis, vitae rationis etc. parum adferri potest, quum singuli casus rarius occurrant, quam ut ex his argumentari aliquid possimus.

Sed prima ac maxime praecipua occasionalis causa ejusmodi vires habendae sunt, quae vim deprimentem in systema nervorum animumque exse-

rant. Atque animi pathemata deprimentia in omnibus fere narrationibus causam adferunt.

Quibus allatis si ad investigandam causam morbi proximam transeamus, quaeritur, num cari natura cum somno normali eadem sit. Quodsi ad corporis conditionis symptomata respexeris, uterque status in universum excepto gradu inter se convenit. Interea tempus somni atque altitudo variis etiam viribus augentur aut diminuuntur, quapropter ex hoc utrumque statum in causis ex qualitate diversis fundatum esse demonstrari nequit. Affectiones vero spasmodicae, uti trismus, in singulis aegrotis observatae, suspicionem movent, carum in re peculiari esse situm. Sed hice casus in universum rari sunt, quamobrem qualitativam utriusque status aequalitatem accipi posse ego quidem arbitror. Somnus a systemate nervoso solummodo pendet, et ad gravissimas ejus functiones propius accedit et in animalibus ibi demum perspicue se ostendit, ubi nervorum functiones ad conscientiam evectas videmus. Atque normales mentis nostrae et somni conditiones quam arcto vinculo conjunctae sint, experientia docet. Etenim somnus reficit animum novisque laboribus aptum reddit, sicuti ejus absentia eum labefactat ac postremum vesaniam procreat, et turbatione animi plerumque etiam somni turbatio advocatur. Quapropter causas cari idiopathici in gravissimis hujusce systematis functionibus quae-

rere debemus. Quum vero natura omnium abnormitatum systematis nervosi et imprimis animi turbationum tam obscura sit atque lateat, non magis etiam certiores de cari causis proximis facti sumus. Interea maxime pertinet ad homines, experientia confirmatum videre, quantopere carus cum animi alienationibus conjunctus sit. Causae carum praecedentes ejusmodi sunt, quae facillime vesaniam efficiant, adeoque haec in plerisque casibus carum comitabatur et cum eo vel removebatur vel post eum indurabat.

CURA.

De therapia nihil adhuc proponi potest. Cura hucusque instituta constitit in usu Galvanismi, Electricitatis remediorumque irritantium, quae vero omnia irrita fuerunt.

HISTORIA MORBI.

G.... M.... fabri aerarii Angermuendae viventis, filia, parentibus prospera gaudentibus valetudine nata, infantum morbis sine magna molestia superatis usque ad duodevicesimum aetatis annum omni morbo graviori carens vixit. Hoc vero tempore menses intrabant, quos varia molimina, imprimis cephalalgia, colica atque dolores regionis sacrae praecesserant. Illi quidem postea semper redierunt, sed plerumque, praecipue primis annis istis comi-

tati molestiis. Adulta deinde gracilique et bene constructo corpore praedita, animum non admodum vivacem habere, domi se plerumque tenere, quaerere solitudinem, inter homines timida esse atque raro, nisi provocata, loqui; praeterea animum probum, qui magis rebus deprimentibus, quam excitantibus movebatur, semper ostendere. Quae vero melancholiae inclinatio morte parentum praematura augebatur atque a consanguineis relicta et sine opibus serviendo aliis victum quaerere coacta est. Quam ob causam annum undevicesimum agens Berolinum se contulit, ubi apud varios dominos muneribus functa, ad anum morosam, quae plerumque sua in alios asperitate brevi tempore etiam famulos a se removere solebat, venit. Haec vitae ratio solitaria et animus injurias patienter ferens ingenio ejus facile excitando aptissima erant et ita accidit, ut utrumque sibi oppositum intimo conjungeretur vinculo. Plures per annos apud hanc severam dominam muneribus functa, in societatem venit cujusdam adolescentis, qui animo ejus placido commotus sponsalia celebravit. A sponso dein servitium relinquere et cum eo matrimonium inire provocatam domina, quae serva sibi aptissima et consuetudine necessaria haud libenter carebat, ab hoc consilio studuit avocare, rogavit, ut ad mortem brevi venturam apud ipsam maneret, eique testamento aliquid legaturam esse pollicita est. Sub hac conditione,

quamquam amor dehortabatur, precibus dominae satisfecit, ac plures per annos illi serviit. At societate matronae, quae omnem vitae amorem abjecerat, et secessu summoque matrimonium ineundi desiderio animus ejus debilis magis etiam ad melancholiam depulsus erat, ita ut hocce tempore insolita ejus animi alienatione socii et aequales moverentur. Matrona tandem in morbum incidit diuturnum, quo absumebatur. Serva autem, continuis vigiliis corpore animoque debilitata, ab heredibus dominae, quae hereditatem sibi minui putabant, non solum male tractata, verum etiam furti rerum pretiosarum per dominae morbum facti accusata est. Tali modo amissa omni spe atque fama infelix mania furibunda subito correpta, lacrymans gestibusque vesaniae utens domum relinquere, et ad familiares se proruere, ubi summa anxietate animique motu, ut umbrae mortuae herae, quam expilatam a se dicebat, persecutionibus ipsam defenderent, petiit, neque minus cibos potionesque rejicere et timere, ne veneno necaretur. Atque quum medicum ad eam inquirendam et in nosocomium transportandam vocassent, furti causa inquisitionem ab judice fieri arbitrabatur, clamare, evellere sibi capillos, neque familiares neque sponsum ipsum cognoscere, sed omnes adversarios habere coepit. Hoc statu post triduum ante diem octavum Idus August. MDCCCXXXIII in nosocomium caritatis transportabatur.

Aegrota annum aetatis tricesimum agens corpore erat gracili et magno et aliquantum macro; oculi capillique fusci et color subflavus temperamentum indicabant melancholicum. Atque faciei liniamenta tristitiam moeroremque prae se ferentia oculis rigidis deformata. Clara voce verba confusa, quae ad conditionem priorem sese referebant, pronunciavit, inter quae nonnunquam impetus furoris intercedebant. Ad hoc pulsus paulo acceleratus febrilem inflammatoriamve affectionem haud indicans. Sicca et subfrigida cute facies erat rubicunda, frons fervida humidaque; oculi splendentes cum vasis conjunctivae repletis, comitantibus supra dictis symptomatibus, congestivum sanguinis ad cerebrum statum exhibebant. Quae quum ita essent, pro derivatione Tartarus stibiatus ad usum internum praebebatur. Quo remedio aegrota per aliquot dies utens, die noctuque in hoc statu excitato perseveravit, quum leves vomituritiones, dosi adeo duplicata, vomitu non advocato, intrarent. Alvus vero frequens et liquida erat. Medicamentum, quod invitae erat immittendum, venenum habuit, omnemque furorem in contubernalem quandam, veneficam ab ea habitam, conjecit. Jam vero spes posita est in medicamentis gravioribus: Ung. Tart. stib. dorso infricatum, superfusiones frigidae datae, eaeque quum furor minueretur, majore gradu quotidie repetitae. Post cujusque balnei usum brevis somnus

sequebatur, cujus ope aegrota tranquillior fiebat atque ultro cibum potumque capiebat. Quo laeto eventu faustam putarunt prognosin, praeterea quum furoris paroxysmi non redirent; sed aegrota magis magisque in statum incidebat apathicum et somnolentum, adeo ut ab extremo furore ad summam remissionem transiret, uti frequenter et post sanum et post morbosum animi irritati statum fieri solet. Quae vero conditio longius induravit, quam ut eam naturalem atque consuetam ex morbo aut ex adhibitis balneis profectam esse arbitrari potueris, atque ita, quum multos per dies adesset, animus ad illius naturam accuratius investigandam magis inducebatur.

Aegrota diu noctuque in lecto speciem dormientis quam accuratissime exhibens cubuit; etenim in facie pallida placidus ille a musculorum relaxatione dependens vultus sese ostendit; oculi clausi, quos si aperueris, bulbus ad externam partem superneque volutus, quominus adspiceretur, pupilla, impedivit. Os vero semiclausum levi alarum nasi motu respirationem adjuvans, facto ad mentem pressu facile aperiendum erat. Respiratio ipsa tranquilla, sine strepitu ac respondens pulsuum numero. Pulsus sexagesima horae parte septuagies sentiendus, regularis et normalis. Cutis aequali et normali temperatura, ac tangenti laxa et aliquantulum humida. Adhibito ad abdomen pressu, aegrota nullum doloris signum edidit. Quodsi autem ejus-

dem caput aut brachium attollebas, in situm gravitate effectum recidebat. Neque vero aegra in statu paralytico ac sine motione perseveravit, sed interdum in lecto se vertit, paululumque membra quasi somnians movit, extendit, vultum distorsit ac more dormientis sternutavit tussivitque. Atque stimulis externis licet non valde afficeretur, tamen vehementer concutiendo, advocando sive dolore effecto e somno excitari potuit. Haecce expergefactio inter pandiculationem et voces indignationem exprimentes vultuque moroso effecta est; apertis deinde oculis sese erexit et quasi mirans eos, qui circumstabant, adspexit claris oculis, qui non rubicundi, nisi quod pupilla paulo coarctata, videbantur. Si quis aliquid interrogaverat, stupida eum adspiciebat, de iis quidem, quae interrogata erant, meditari videbatur, sed tacita relapsa oculis clausis statim obdormivit. Somno autem quieto per noctem capto antemeridiem facilius expergefaciunda diutius vigil mansit, quo tempore famula ei, quoniam cochleari minime uti posse videbatur, cibos instillavit, quae vero simulac aliquantulum ceperat, nihil amplius sumsit et obdormivit. Victus quoque et quas natura postulat urinae et excrementorum evacuationes parum eam videbantur afficere, nisi enim pascebatur, tres dies nullam edendi cupiditatem indicans dormivit; diutius vero ipsi victum detrahere ausi non sunt. Per somnum excrementa urinamque emi-

sit, sed expergefacta etiam modo magis decoro ventrem exoneravit. Jam inde ab initio alvus tarda, sine remediis tertio vel quarto quoque die secuta est. Excrementa obscura, dura friabilia; urina saturata, id quod longiore ejus in vesica urinaria commoratione partimque aquosarum resorptione profectum esse verisimile est. Hicce aegrotae status plures per hebdomades sine omni mutatione induravit, ac nihil aliud, quam hanc singularem aegram diligentissime observare, et victui et ventri evacuando ope clysmatum providere, factum est. Taudem quum omnibus, morbum non esse in causa aliqua materiali situm, sed primarium ex nervorum vita proficisci persuasum esset, indicatio facta hujusce reactionem stimulis augendi. Quo consilio ad varias corporis partes vesicatoria volantia applicata, setaceum cervici adpositum; at, quamvis dolore somnus aliquamdiu repelleretur, haecce tamen cura in universum inefficax fuit, aegraeque conditio excepta debilitate adaucta eadem mansit, quippe quae magnopere macrescebat pulsusque debilior fiebat et minor. Quamobrem ineunte mense Augusto stimuli augebantur et, aegrota saepius ex somno excitata, omni secunda vel tertia hora cochlear Infusi Arnicae cum Tinct. Colocynth. datum est. Altero quoque die superfusiones frigidae sunt praebitae, eaque per somnum in labro posita atque ex modica altitudine aqua frigida perfusa statum quidem vigilan-

tem vagitu indicavit, sed peractare statim somnum recepit. Praeterea de harumce superfusionum frigidarum efficacitate observata est aucta cutis exhalatio, quae semihora post balneum adparuit pluresque per horas induravit. Alvus autem adeo tarda, ut praeter supra memoratum medicamentum etiam clysmata repeti deberent ad obtinendam tertio vel quarto quoque die ventris evacuationem. Ad hoc aegrota fluore albo profusissimo laboravit. Quum saepius eam ex somno excitassent, somnus ipse videbatur profundior fieri, ita ut expergefacere eam pluries haud procederet. Tumque medicamentum in os fundi, oreque et naribus praecludendis deglutitio effici debuit, quod quidem, dum pharynx per se agere videbatur, bene cessit. Per vigilias, quas quotidie tempore antemeridiano dimidiam horam coacta agere poterat, fuit tanquam attonita, de iis, quae ex ea quaesiverant, longissime meditata nonnisi nutu capitis aut etiam aut non respondit.

Exeunte mense Augusto typus dormiendi et vigilandi intrare velle videbatur. Quo tempore aegrota, quae antea plerumque circa horam nonam matutinam e somno excitata erat, sua sponte expergiscebatur, idque semper certo tempore sub iisdem symptomatibus, quibus homo sanus somno solvitur, fiebat. Tum unam fere horam vigil mansit, sed ita debilis fuit, ut vix sedere in lecto posset; confusus animus ejus et perturbatus in modum homi-

nis, qui non edormivit. Cognovit vero famulam, medicamentorum aversionem significavit potumque postulavit; prioris suae conditionis quoque parum modo reminiscebatur, in familiares lentam ad colloquium impellere difficile erat, atque interrogantibus longum per tempus meditata breve tantum responsum dedit, quod vero nihil rationi contrarii continebat. Atque hujus status vigilantis reditu conscientia aegrotae paulatim clarior fieri videbatur, quo tempore etiam alvum deposuit atque de doloribus setaceo provocatis questa est. Quoad pulsum per vigilias frequentior, per somnum vero rarior inveniebatur, ejusque frequentia cum tempore somni adeo minuebatur, ut hora somni duodevicesima sexagies, quum primis ejusdem horis ferme septuagies sentiretur. At quum debilitas maciesque aegrotae indiem increscerent, aqua frigida, huc usque parum efficax, omittebatur, et pro medicamento supra memorato, quo tractus intestinalis longiore usu non amplius afficiebatur, Tinct. Ambrae cum Moscho, pro potu vero Gelat. Lichen. Island cum vino rubro praescriptae sunt.

Quae remedia quum aegrota plures per dies usurpasset, per vigilias de capitis doloribus, qui in toto cranii ambitu morarentur, conqueri, fricare frontem, animnm maxime adflictum et morosum ostendere, cumque hisce querelis levis in albugine oculi

atque faciei alioquin pallidae rubor animadvertebantur. Quem igitur statum congestivum quum e remediis fervefacientibus profectum esse arbitrarentur, ea intermittebantur, sed affectiones nequaquam evanescebant; unde hirudines pone aures adpositae repetebantur, quod quidem prosperum eventum habuit. Aegrota pristinum in statum regressa usum illius haud nocentis medicamenti continuavit. Post aliquot dies vero quaedam menstruationis signa sese ostenderunt.

Sub finem mensis Novembris vim electricam in usum vocare tentatum est. Tempore inde pomeridiano aegrota per somnum ad magnam et efficacissimam machinam electricam adducta ad sellam adligata est, in quo negotio sedens capite ad pectus delapso dormivit. Initio quidem ictus per corpus mitiores ducebantur, quibus vero quum leves tantummodo musculorum convulsiones perdurante somno efficerentur, ictus fortiores ope lagenarum Leidensium in eam vertebantur. Edito clamore vehementissime cohorruit, aperuit oculos, sed extemplo capite ad pectus relapso somno iterum se dedit, donec novi ictus eam iterum excitabant. Factis deinde sex vel octo ictibus ad lectum reducta haud interpellato somno et quidem, uti experimenta demonstraverunt, multo profundiore, quam antea fruebatur. Post semihoram tota cutis, ad sudandum alio-

quin maxime prona, sudore copioso universali, unam vel duas horas indurante, superfusa est. Continuata autem octo circiter dies vis electrica est, auctaque vehementia ictuum et numerus, ubi eadem symptomata, somnus altior cum sudore profuso observata sunt. Mutata deinde est adhibendi methodus, balneum electricum datum, quo quidem aegrota haud expergefacta auctam praebuit pulsuum frequentiam. Ceterum hujus methodi effectus a priore nihil differebat.

Hoc modo morbus quartum mensem attigit, quo tempore aegrota admodum macra facta erat, pulsum vero si comparaveris cum eo, qui initio morbi aderat, in universum frequentior et debilior. Atque vigiliae, quae hucusque consueto tempore intraverant, omnino se normales praebuerunt. Neque amplius mens aegrotae tam hebes erat; eos, qui circumstabant, locum, ubi morabatur atque malum, quo laborabat, cognovit. Pari modo cum propinquis de pristinis rebus suis loqui, tumque vivacior fieri, ac si homines cari res ipsi gratas narrarent, diutius, quam antea, somno se abstinere. Quodsi autem colloquium horam superabat, ritu hominis, qui diu somno caruit, sese habuit, sedens obdormire, oculos mox aperire, donec omnino collapsa alto somno se dedit. Cura postremum, vi electrica plures hebdomades adhibita somnoque haud mutato intermissa est. Interea, id quod mirum videtur, co-

dem tempore largos sudores, ut antea, intrare animadverterunt.

Primis Novembris diebus aegrota novo tempore post multa suspiria membrorumque extensionem expergefacta est. Facies anxietatem prae se ferebat atque angorem, respiratio brevis ac difficilis. Aegra ipsa interrogata de anxietate in pectore questa est, pulsus frequens, parvus, suppressus, qui status quum praeterlapsa hora non mutaretur, respiratio semper difficilior fieret, parcam venaesectionem facere placuit, ut congestio ad pectus tolleretur. Quae quidem bene successit, quum pulsus fortior fieret et aegrota ab angore liberata statim altum somnum caperet.

Jam vero aegrota in statu consueto amplius sex dies versata, affectio alia quam periculosissima et notatu dignissima apparuit. Ante diem XIV. Cal. Nov. aegrota tempore vigiliarum quietissima in lecto remansit ac nihil loquens oculis semipartis exiguisque corporis motionibus somni absentiam indicavit, captisque cibis paucissimis prius, quam antea, somnos duxit.

Facies pallidissima, pulsus minor, quam antea, ac somnus ita profundus, ut nullo modo excitari posset. Totum diem sequentem solito tempore haud expergefacta dormivit. Tempore tandem meridiano vehementer concutiendo atque advocando aegre e somno excitata quam morosissima fuit, haustoque

potu tres dies continuos uno tenore dormivit, ubi omnia vitae symptomata sensim sensimque tantopere recesserant, ut aegrota speciem mortis prae se ferret. Ore oculisque clausis sine omni motu cubuit, facies pallida deficiente turgore, ac si aperires oculum, bulbus defixus, pupilla normalis, quae vero incidente luce paene minime se contraxit. Antibrachia et crura, uti in cadavere, frigida. Neque ulla pectoris motio conspiciebatur, atque respiratio solummodo admota candela animadverti poterat. Etiamque extremitates pulsu prorsus carebant, ac manu debiles tantum cordis sentiebantur ictus, qui et rari et tardi sese excipiebant. Venter mollis ejusque calor, uti pectoris, fere normalis. Adpositis pectori surisque sinapismis, nec non liquore Ammon. caust. naribus admoto, aliisque adhibitis stimulis aucta vita haud revocata est. Status vero tres dies, neque cibo capto neque urina vel excrementis emissis, omnino induravit. Quomodo pulsus pedetentim decreverat, refrixerantque extremitates, sic etiam haece partes vitam paulatim receperunt. Aegrota horis tandem matutinis expergefacta captisque modico appetitu cibis ad meridiem usque vigil quidem, sed admodum defatigata, manebat tumque somnum rursus capiebat.

Sed ultimo diu indurante mortique simili somno morbus sese in melius convertisse videbatur. Etenim aegrotam bis terve per diem somnus reliquit,

ac prout animus ejus movebatur, plures per horas vigil fuit, quod etiam, quandoque a somno excitabatur, factum est. Digestio melior fieri et appetitus adesse coepit. Atque alvus fere quotidie ultro intravit, et excrementa magis, quam antea, normalia. Hocce quoque tempore magnum urinae sedimentum, quod maximam partem, ut analysis accuratior docuit, calcareis salibus constare crebro observatum est. Haec salia postremum ita in urina praedominabantur, ut quaelibet ejus gutta in fundo maculam cretaceam relinqueret. Qua in re quum corpus magnopere se recrearet, vis electrica in usum denuo vocata, qua adhibita aegrota magis, quam antea, reagebat. Praeterea etiam aegrota quotidie per plures horas vigil retinebatur, ut musculorum intentione corpus paulatim agendo adsuesceret. Quae cura, quum aegrotae conditio indies melior fieret, cum remediorum roborantium usu diaetaque valida usque ad finem mensis Novemb. continuata est. Atque per hoc tempus somni diuturnitas et altitudo diminutae, licet in universum viginti vel unam et viginti horas per diem dormiendo et ceterum tempus vigilando transigeret. Per mensem Decembrem status usu electricitatis continuato omnino sine magna mutatione permansit.

Quum aegrotam sub finem mensis Februarii conspicerem, facies ejus jam majorem vigorem et plenitudinem acceperat, vultusque auctam animi vi-

vacitatem ostendit, et quamvis ipsi adhuc difficile esset incedere, sola tamen stare poterat. Tota nocte dormiendo transacta sex vel octo horas diei dormivit. Vesania vero ex toto remota erat. Etenim interrogata non solum responsa dedit rationi maxime consentanea, sed pristinas quoque conditiones suas morbique originem recte judicavit, nec non memoria omnia, quae morbum praecesserant, ante oculos posuit. Sed eorum, quae per morbum evenerant, obscuram tantummodo, veluti per somnium exceptam habuit imaginem.

Quodsi igitur somni inclinatio, eodem quo huc usque gradu diminuetur, sperandum est, fore ut tempore normalis ac dormiendi et vigilandi ratio restituatur, atque aegrota rectum animi corporisque statum omnino recuperet.

VITAE CURRICULUM.

Ego Josephus Beckers, confessioni catholicae addictus, natus sum Gesecae, oppido Guestphalorum, anno MDCCCVIII patre Math. Beckers, quem ex quatuor annis jam morte mihi ereptum valde lugeo, matre M. Theresia, e gente Sertuerner, adhuc vivente. In gymnasio Padibornense, literis, quae ad studia academica viam muniunt eruditus et examine maturitatis superato, Hameliam ad Visurgim me contuli ibique per duos annos ducente avunculo carissimo Sertuerner chemico atque pharmaceutico studio operam dedi. Anno vero MDCCCXXIX, inter cives instituti medico chirurgici Friderici Guilelmi Berolinensis receptus sum, ubi per quadriennium studio medicinae et chirurgiae incubui, virosque Illustrissimos audivi:

Cel. Wolff de hodegetice, logice, psychologia; Cel. Turte de physice, chemia, pharmacia; Beat. Hermbstaedt de pharmacia et chemia; Ill. Link de botanice, toxicologia, historia naturali; Ill. Schulz de botanice; Beat. Knape de osteologia; Beat. Rudolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum foetusque humani, de physiologia; Ill. Schlemm de syndesmologia et splanchnologia; Beat. Knape et Beat. Rudolphi de arte cadavera rite dissecandi; Cel. Eck de phy-

siologia; Ill. Fr. **Hufeland** de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali; Ill. **Horn** de pathologia speciali, de morbis syphiliticis, de morbis mentis; Ill. **Osann** de materia medica; Cel. **Casper** de medicina forensi et de arte formulas medicas concinnandi. Ill. **Kluge** de arte fascias rite applicandi, de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de akiurgia; Cel. **Juengken** de akiurgia et chirurgia tam generali quam speciali; Cel. **Dieffenbach** de herniis; Cel. **Hecker** de Celsi de medicina libris et de epidemiarum historia.

Exercitationibus clinicis interfui et medicis, et chirurgicis, et ophthalmiatricis Ill. Virorum **Guil. Hufeland, de Graefe, Bartels, Wolff, Rust, Juengken, Kluge**, quibus omnibus summe venerandis gratias habeo quam maximas.

Studiis peractis medico-chirurgi inferioris munere in nosocomio Caritatis Berolinensi per annum functus ad medici militaris inferioris munus suscipiendum Dusseldorpium me conferre jussus sum.

Tentaminibus et philosophico nec non examine rigoroso rite superatis spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. Solis radii caloris sunt expertes.
2. Per somnum vita vegetativa diminuta est.
3. In Allopathia contraria contrariis non curantur.
4. Carus idiopathicus morbus mentis est.
5. Gangraena nosocomialis nonnisi gradu a gangraena vulgari differt.